

Societatis mundi medicae

Declaratio Genavensis

*secundo conventu generali Societatis mundi medicae probata, Genavae Helveticae
mense Septembri anno MCMXLVIII (millesimo nongentesimo quadragesimo octavo);
emendata praeterea conventu medico mundiali vicesimo secundo, Sydneii Australensi
mense Augusto anno MCMLXVIII (millesimo nongentesimo sexagesimo octavo),
conventu deinde medico mundiali tricesimo quinto, Venetiis Italarum mense Octobri
anno MCMLXXXIII (millesimo nongentesimo octogesimo tertio),
atque conventu generali Societatis mundi medicae quadragesimo sexto, Holmiae Suecicae
mense Septembri anno MCMXCIV (millesimo nongentesimo nonagesimo quarto);
ad praecepta editoris adaptata consessu Concilii Societatis mundi medicae centesimo
septuagesimo, in oppido Gallico Divonne-les-Bains nuncupato mense Maio anno MMV
(bis millesimo quinto),
et consessu Concilii Societatis mundi medicae centesimo septuagesimo tertio, in oppido
Gallico Divonne-les-Bains nuncupato mense Maio anno MMVI (bis millesimo sexto);
emendata denique conventu generali Societatis mundi medicae sexagesimo octavo,
Sicagi Civitatum Foederatarum Americae mense Octobri anno MMXVII
(bis millesimo septimo decimo).*

Iusiurandum medicum

Officio medico fungens

persancto voto me obstringo vitam meam ministerio generis humani dedicare.

Maxime mea intererit, ut saluti valetudinique aegrotantis consulam.

Liberum arbitrium ac dignitatem aegrotantis observabo.

Vitam humanam summa observantia verebor.

*Aestimationem aetatis, aegritudinis vel imbecillitatis, religionis, originis genticae,
sexus, nationis, politicae factionis, stirpis, propensionis sexualis, status socialis
aliarumve proprietatum aegrotanti pertinentium ab officio fungendo amovebo.*

Arcana mihi resecta conservabo, etiam post mortem aegrotantis.

*Munus meum conscientia ductus/ducta honeste praestabo,
morem probatum artis medicae consequens.*

Honorem moremque nobilem artis medicae colam.

Magistris, collegis et discipulis meis debitam gratiam referam honoremque tribuam.

*Cognitionem artis medicae quam adeptus/adepta sum pro salute aegrotantis
profectuque curae valetudinis communicabo.*

*Proprio saluti valetudinique me dedam, animum mentemque meum excolam, ut
curam praestantissimam aegrotantibus adhibere possim.*

*Scientiam artis medicae numquam ad iura hominum violanda sive libertates civiles
impediendas adhibebo, ne minis quidem territus/territa.*

Haec omnia servare sponte mea solemniter me devoveo per honorem meum.